UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Petri Danielis Huetii Demonstratio Evangelica

Huet, Pierre Daniel

Parisiis, 1679

VII. Secundum argumentum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-16260

Visual Library

nis compingitur : hic vero, quod in hujus carceris veſtibulo ad populum verba face-
ret, & ad relinquendam Urbem ſollicitaret, Saphatias, Gedelias, Iuchal, & Phaſ-
ſur, annuente Sedecia, inde extractum in lacum Melchiæ detruſerunt. Itaque anno-
rum ſeriem, & narrationem rerum hoc Libro confuſam eſſe fateor; res vero aut ver-
ba inter ſe diſcrepare plane nego : & ut utrumque darem, ex Hiſtoricorum tamen,
unde petita ea vult Philoſophaſter, repugnantia & diſcordia prodire omnino infi-
tiarer.

Secundum argumentum. VII. Capite præterea viceſimo ſecundo carpendi ſui, & in dubium revocandæ
ſuæ γνησιότητος Diſputatori eidem cauſſam præbuit Jeremiæ Prophetia. Quæ cum hæc
Jer. 22. 28, & ſeq. habeat : *Numquid vas fictile atque contritum vir iſte Iechonias? numquid vas abſque omni
voluptate? quare abjecti ſunt ipſe & ſemen ejus, & projecti in terram quam ignoraverunt?
Terra, terra, terra, audi ſermonem Domini. Hæc dicit Dominus : Scribe virum iſtum ſteri-
lem, virum qui in diebus ſuis non proſperabitur : nec enim erit de ſemine ejus vir qui ſedeat
ſuper ſolium David, & poteſtatem habeat ultra in Iuda;* palam hæc repugnare ait Philo-
4. Reg. 25. 27, & ſeq. ſophus libro quarto Regum, cujus poſtremum caput ſummis honoribus affectum ab
Evilmerodacho Jechoniam fuiſſe narrat; & libro Paralipomenon primo, cujus ter-
1. Par. 3. 16, & ſeq. tium caput octo filios Jechoniam ſuſcepiſſe docet, Salathielem in his, & Phadaiam
patrem Zorobabelis, qui populi dux fuit, & regium jus inter ſuos exercuit, licet Re-
gis nomen, regiaque ornamenta non uſurparit. At vel ex hac argumentatione oſten-
dit Philoſophus vix unquam ſe in Scripturæ ſacræ adyta penetraſſe. Sciret hoc loco
Paralipomenon alium notari Zorobabelem, quam qui Judæorum dux fuit, uti recte
Grot. in Luc. 3. 23. à Grotio obſervatum eſt; hunc Salathielis fuiſſe filium, ut habetur in libris Eſdræ,
Aggæi, Matthæi, & Lucæ; illum Phadaiæ : huic Reſam filium fuiſſe, ut eſt apud
Luc. 3. 26. Lucam; illum vero inter octo, quos genuit liberos, & quorum nomina extant in Pa-
1. Par, 3. 19, 20. ralipomenis, nullum Reſæ nomine appellatum habuiſſe. Quod ergo habet Alexan-
drinus Codex, καὶ υἱοὶ σαλαθιὴλ, ζοροβάβελ, καὶ σεμεΐ. *Et filii Salathielis, Zorobabel, & Se-
mei*, pro eo quod præferunt vulgati libri Septuaginta Interpretum capite tertio prio-
ris Paralipomenon : καὶ υἱοὶ φαδαίας, ζοροβάβελ, καὶ σεμεΐ. *Et filii Phadaiæ, Zorobabel, &
Semei* : id videtur interpolatum ab aliquibus hanc clauſulam ſtudentibus ita conciliare
clauſulis aliis, quæ Zorobabelem Salathielis filium faciunt. Mera vero corruptela eſt
id quod extat apud Interpretem Syrum & Arabem : *Filii Nedabiæ, Zorobabel, & Semei.*
Neque placet Judæorum reſponſio, qui Zorobabelem Salathielis nepotem fuiſſe vo-
lunt, ut pote Phadaiæ filium, qui Salathiele genitus ſit : nepotes autem ſæpe filios
dici, quippe qui ab avo patris genitore geniti cenſeantur. Quod ut tueri poſſint, di-
cere coguntur mancam eſſe & hiulcam decimi octavi verſus orationem : *Melchiram,
Phadaia, Senniſer, & Iecemia, Sama, & Nadabia;* atque ad eam explendam verba hæc
eſſe præfigenda : *Et filii Salathielis fuerunt.* Quæ ſi amplectamur, dicendum itidem
erit, quod ab aliquibus dictum eſt, Moſollamum Zorobabelis filium, alio nomine di-
ctum fuiſſe Abiud, ut Matthæi verbis ſua conſtet fides. Verum cum hæc nulla vete-
rum ſcriptorum aut codicum tueatur auctoritas, temere nequaquam videntur admit-
Luc. 3. 27. tenda. Porro Salathielem illum Zorobabelis patrem, Neri fuiſſe filium docet Lucas :
at in Paralipomenis ſic habent Ebraica : ובני יכניה אסר שאלתיאל בנו. Septuaginta :
καὶ υἱοὶ ἰεχονία, ἀσὶρ, σαλαθιὴλ υἱὸς αὐτοῦ. *Et filii Iechoniæ, Aſir, Salathiel filius ejus.* Id
ſibi vult Aſirum Jechoniæ natura filium fuiſſe, Salathielem vero Aſiri filium lege,
hoc eſt ſucceſſione, ac bonis; quia nimirum Salathiel Aſiro ſucceſſit, eoque defun-
cto ſummus populi judex, dux, & princeps creatus eſt. Fidem aſtruit huic reſpon-
ſioni ſuperior verſus capitis ejuſdem Paralipomenon, ubi Ebraica, & Septuaginta ha-
1. Par. 3. 16. bent : *Et filii Ioakim Iechonias filius ejus, Sedecias filius ejus.* At Sedeciam Joſiæ &
4. Reg. 23, & 24. Amitalis filium, Joakimi fratrem, Jechoniæ patruum fuiſſe docent libri Regum : hic
autem Jechonias Joakimi filius fuiſſe dicitur, Sedecias autem Jechoniæ, quia nimi-
rum in Jechoniæ locum à Nabuchodonoſore ſuffectus eſt : quod acute itidem vidit
Eraſm. & Grot. in Luc. 3. 23. Grotius, & ante Grotium aliud agens Eraſmus, præmonſtrante Philone. Itaque Je-
Jerem. 22. 28, 30. chonias appellatur vir ſterilis, non quod liberos non procreaverit, ſed quod *abjectus ſit
ipſe & ſemen ejus, & projectus in terram quam ignorabat, & quod non fuerit de ſemine ejus, vir
qui ſederet ſuper ſolium David, & poteſtatem haberet ultra in Iuda.* Itaque Ebraicum, ערירי
Septuaginta & Theodotion vertunt, ἐκκήρυκτον, hoc eſt, *exterminatum;* quod ſecutus eſt
Arabs : Aquila, ἀναύξητον, *qui augeri non poteſt;* Symmachus, κενὸν, *vacuum.* Vas quo-
que fictile & contritum, vas ſine voluptate dicitur Jechonias, quod regno, patria,
bonis, & libertate dejectus, in externo ſolo ad alterius arbitrium vitam egerit : qua-
rum rerum jacturam nulli honores, nulla præmia ſarcire poſſunt. Præclare igitur Je-
remiæ convenit cum Paralipomenis, ſi quis non in Scripturæ ſacræ cortice cum Phi-
loſophaſtro hærere, ſed intima enucleare ſciat.